



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 1. Quæ, & quo tendit illa similitudo?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

etiam gentes in comparatione virtutum & vitiorum, personas confundere videntur. Sic Lucillum vocabant togatum Xerxes. Sic, Tertius è celo cecidit Cato. Alia innumera ad hanc formam vsurpantur.

§. 3. Piscator pè tropum hæc dicta esse ait, ideo multa oriri incommoda, dum non attenditur ad tropum. [Nam tropi non obseruati multos errores gignunt: cuius rei exemplum hic habemus in Iudæis: qui locum Malachiæ de Elia falso interpretati sunt, eo quod ad tropum metaphoram non attenderunt.]

Respondet hæretico tropistæ: Non esse hic tropum omnino, vt ex parte iam ostendi. Neque enim Malach. 4. tropum fingere licet, cum dies illa accensæ sit caminus: & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, que non derelinquet eis radicem & germen. Et v. 3. Et calcabitur impius cum fuerint cinis sub planta pedum pèstorum in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum. Quæ extremo in iudicio perficiuntur.

§. 4. Pareus in Apoc. 11. 43. [Hoc non necessarium de extremo die iudicii intelligitur: quia etiam primus Christi aduentus, fuit magnus mysterio incarnationis & miraculis: terribilis vero impijs, quod trepidatio Herodis & Iudæorum testatur. Sed esto: etiã Ioannes venit ante diem iudicii. Nec dicit Malachias præcisè tribus & dimidio annis ante iudicium Eliam venturum.] Non potest hoc inquam dici. Quia in scripturis, Prior Christi aduentus gratus, acceptabilis, gaudij plenus dicitur: At vero ille terribilis extremus semper nominatur. Deinde valde peregrinum est, Ioannem dici venire ante terribilem diem: qui venit ante Christi aduentum. Nam circa illum diem contingeret, quando veniet, erit dies sicut caminus accensæ. Itaque in illa tempora Elias promittitur, quem Dominus venturum ait. Nam ad consolationem illam de Elia Prophetiam interfert. Sentendum igitur cum veteribus, & scripturæ verba proprie accipienda sunt, nec vnus alterius curanda sententia. Tertullianus quidem iam senior & Hæreticus aperte negat eum venturum lib. de pudicitia cap. 8. Verum aliter lib. de anima. Hoc est ex malis fructibus bonam arborem intelligi, id est, ex pessimis præceptis doctrinam veritatis agnoscere. Spero huiusmodi hæreticos Heliam quoque imadere exemplum, tanquam in Ioanne sic representati vt metaphysichos patrocinetur pronuntiatio Domini, Helias iam venit & non cognouerunt eum: Et alibi: Et si vultis audire hic est Helias qui venturus est. Nunquid ergo & Iudæi ex opinione Pythagorica consulebant Ioannem, Tu es Helias: & non ex predicatione diuina: Et ecce mittam vobis Heliam Thebitem. Sedenim metempsychosis illorum reuocatio est anime iam pridem morte factæ & in aliud corpus iterata. Helias autem non ex decessione vitæ, sed ex translatione venturus est, nec corpori restituendus, de quo non est exemptus, sed mundo reddendus, de quo est translatus non ex postliminio vitæ, sed ex supplemento Prophetiæ, idem & ipse & sui hominũ, & sui hominũ. Sed quomodo Helias Ioannes: Habes Angelicam vocem: Et ipse (inquit) præcedet coram populo in virtute & in Spiritu Helie, non in anima eius, nec in carne. Hæc enim substantia sui cuiusque sunt hominis. Spiritus vero & virtutis extrinsecus conferuntur ex Dei gratia, ita & transferri in alterum possunt ex Dei voluntate, vt factum est retro de Moysi Spiritu.

Hieronymus valde ambigue loquitur, & vt dixit Ribera spiritaliter interpretatur. Verum pluram in c. 11. 4. Apocal.

Adami Conzen in Evang. Tom. I.

VERSUS 15.

Qui habet aures audiendi, audiat.

QUESTIO I.

An non omnes habeant aures audiendi?

§. 1. **A**ures audiendi habere, aliud non est, quam habere attentas, dociles, obediēte paratas: non quales Ila. describit, c. 6. 9. Est vero locutio proverbialis, qua rei magnitudo, & necessitas declaratur. Excitanturque Auditores vt in rem ad quam percipiendam sensus dati sunt, incumbant.

§. 2. Sine ratione hic arguitur Piscator, fidem esse tantum electorum; eos enim solos habere aures audiendi, cæteros vero nequaquam. Multi enim habent aures audiendi, vt credant, & aliquando à fide recedant, accipiunt verbum cum gaudio, At in tempore tentationis recedunt. Verbum audiunt, assentiuntur, sed non faciunt. Credunt, vocantur, sed non perseverant.

VERSUS 16. 17.

Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coequalibus: dicunt, Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus vobis, & non planxistis.

QUESTIO I.

Quæ, & quotendū illa similitudo?

§. 1. **F**requentissimus vsus est interrogationum in parabolarum principio, Thalmuth Ierol. c. 2. de benedictionibus. Putant nonnulli eiusmodi puerorum lusum esse diuisis choris, quod insolens non est, nam reuera ex re que fit, similitudo ducitur, scimus pueros omnia imitari, si funus vident duci maxime aliqua nouitate, vel apparatu ipsi quoque eadem agunt, iidemque in plateis prælia, Magistratus, & alia tractant, vt illi in litore Alexandrino, à quibus Episcopus lectus Athanasius. Cum ergo funera essent plura tibia, tubæ, lamentatrices, præfixæ, id pueri imitabantur, interim exprobrantes æqualibus, si non lamentarentur, atque ita ludum rumperent, atque sic ad saltationes inuitabant, & choreæ accommoda canerent: at obstinatiuli, si ne tum quidem colluderent, merito videbantur à communi hominum consuetudine abhorre, valde dolentibus illis, quod feruidi in lusum cogebantur aliorum fastidia ferre. Non est autem pars parti applicanda, & res tota toti. Nec enim pueri Ioannes, nec Christus, sed hoc dicitur: Duo modi sunt conuertendi homines, primus eximia vitæ sanctitate, quæ est in austeritate externæ vitæ, qualem habuit Ioannes, in quo nihil fuit quod reprehenderetur, nihil quod imposturæ haberet suspicionem, vt qui luculento patrimonio & licto eremum coleret, cibis humanis vix vteretur, Herodem vitæ periculo moneret, & tamen non partierunt illi. Alter modus est, benignitate, & humanitate, ne fugerent, ne austeritate terrentur, itaque Christus vitæ, synagogis, conuiuijs interest, sanat miseros, at ne sic quidem adiungere se voluerunt, modus ergo alius

non restat, sed merito relinquuntur. Impiam igitur morositatem taxat, cui omne Dei consilium omnis ratio docendi displicet. Ribera noster in Ose. 14. n. 25. Huc adfert illa verba Prophetæ, *Quis sapiens & intelligit ista? intelligens & sciet hæc? quia recta via Domini & iusti ambulabunt in eis. prauaricatores vero corrumpuntur in eis.*

QVÆSTIO II.

An saltationes probet?

§. 1. **S**altationes sunt duplices, quædam piæ & sanctæ ad indicandum in Domino lætitiâ. Quales erat, Dauidis 2. Reg. 6. forsan & Mariæ Exod. 15. & I. 1. Regum 18. ubi nulla lasciuiâ, nulla ad eam irritatio.

Aliæ impiæ & lasciuæ, detestabiles, cum viri cum fœminis fracto corporum motu libidinosisque cantionibus choreas ducunt: quas Ecclesia Dei Spiritu damnauit.

VERSVS 18.

Venit enim Ioannes neque manducans neque bibens: & dicunt, demonium habet.

QVÆSTIO I.

Cur demonium habere dicant?

§. 1. **S**yrus vertit: *demonium est illi.* Atque hoc eos dixisse puto, non obsessum quidem à demone, à quo vexaretur, more aliorum energumenum, sed habere spiritum *malum*, à quo occulte sustentaretur. Quædam exemplaria apud Erasmus habent *ἐν πνεύματι ἰσχυρῷ*, quia spiritus est; Quidam à demone obsessi, vel nullis cibis, vel obscenis vescuntur: hinc originem calumniæ Pharisei traxerunt. Hæc de re multa & curiosa exempla inedia portentoſa passim narrari solent.

§. 2. Apparet quam oporteat serio & constanti seruum Dei famam tueri, id enim ad gloriam Dei & animarum salutem perquam vile est. Denique quantum illi vero aberrant, qui communi & vulgari cibo vsum Ioannem imaginantur, quos contra c. 3. dixi putavi, nisi enim admiranda ieiunij seueritas fuisset, nequaquam demonum auxilio homines improbi id tribuissent.

§. 3. D. August. lib. 17. c. 31. contra Faustum Manichæum ostendit, cibos quosdam non esse immundos, ideoque contaminare homines, nec ideo ieiunare nos, quod eos immundos ducamus. Verba eius sunt. *Dicit enim & tu Christum sic docuisse ciborum indifferentiâ, ut à suis quidem discipulis omnes carnes penitus remoueret: secularibus vero vulgo concederet omnia, quæ possent edi atque assueret quod eos nihil in os intrans pollueret, quia quæ de ore impudenter procedunt, ea sola sunt, quæ polluant hominem. Hæc verba tua sunt, tanto impudentiore, quanto apertiore mendacio de prompta, & expressa. Primo quia secundum Christi sententiam si ea sola polluant hominem, quæ mala ex ore procedunt, Cur & discipulos Christi non ea sola polluerunt, ut eos tanquam ab immundo carnis esset necesse prohiberi? An seculares homines non polluantur, his quæ in os intrant, sed his quæ ex ore exeunt? Ergo munitiores sunt aduersus immunditiam, quam sancti, si sanctos & ea quæ intrant, & ea quæ exeunt possunt inquinare. Vellem autem isti mihi dicerent, quid manducabat & bibebat Christus, qui in comparatione Ioannis non manducantis neque bibentis, sed dixit manducantem & bibentem, cum enim argueret peruersitatem hominum vobis, calumnias inquirentum, Venit, inquit, Ioannes non*

manducans, neque bibens, & dicunt, demonium habet: venit filius hominum, manducans & bibens, & dicunt &c.

VERSVS 19.

Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt. Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia à filiis suis.

QVÆSTIO I.

Cur Christo calumniam impegnerunt?

§. 1. **C**onuiuia non modò Phariseorum, sed etiam Christianorum adibat, hoc contra legem esse iudicabant, cum autem veram causam ignorarent, aut ignorare se simularent cupiditate vini, & cupediæ, cum velut transgressorem legis iudicabant, repulsi. Magna enim ratio videtur, cur adit potentiorum limina, interestque epulis, nisi quia vorax est & potator: quasi vero nullam ob causam aliam, nisi ventris ingluuiem vel institui vel inihi conuiuia possint. Tanto autem indignior erat calumnia, quanto Christi innocentia conspectior, ut qui nullo inquam loco leges temperantiæ transierit. *φάγας* vocant, voracem edacem. Erasmus comedonem appellat, quod infame & verbum est, non modo dedecore voracitatis, sed etiam prodigalitatis, ita cum veteres appellabant, qui bona sua comesset, ut loquuntur. *φάγας* autem, qui immodice cibis vteretur. Vnde & *φάγας* appellant morbum cum insatiabiliter esca appeteret. Erant apud Athenienses festa, quæ *φάγας* dicebantur, voracitatis certamine quodam infamia. Eulmodi igitur conuiuia Christum describebant. Syrum vocabulum hoc loco infame non est *ἔχθρα* Echthra, edens, sed in malam partem Pharisei accipiunt.

QVÆSTIO II.

Quomodo iustificata sapientia à filiis suis?

§. 1. **S**yrus habet, *à seruis suis*, sed eodem recidit, iudicat enim sapientiam à cultoribus suis esse iustificatam; quis vero sensus sit admodum anceps fecerunt interpretationes auctorum. Prima interpretatio: Sapientia est Christus, Dei filius. Secunda; Sapientia est diuina prouidentia. Tertia sapientia est astutia mundana. Atque hæc de sapientia veritatis. Qui filij sapientiæ, etiam controuertunt.

Primo filios aiunt Christum & Ioannem. Secundo; Iudæos contumaces & incredulos. Tertio Iudæos conuersos & fideles. Quarto filios generationis istius.

Iustificationem sapientiæ sic interpretantur. Iustificata, id est, laudata, à calumnijs purgata, cognita. Ex temporibus & combinationibus multiplices oriuntur, totidemque sensus.

Sensus Primus. Sapientia Dei, Christus Iesus, ab eodem Christo Iesu & Ioanne laudata, defensa, cognita est. Ut inexcusabilis sit, si quis agnoscere nolit, nefarius, si quis calumniatur.

Sensus Secundus. Diuina prouidentia in salutem Iudæorum ab omni accusatione libera est, à me & Ioanne filijs sapientiæ, ut qui penitentiam & abstinentiam, & deinde humanitatis exempla dedimus, ut qui la-